xLIII
8.

PANNONIA
FELICIBUS AUSPICIIS
DIVI
LEOPOLDI
IMP. CÆS.
AUGUSTI
DEBELLATA.

SACRA CÆSAREA REGIAQUE MAJESTAS.

VIciſti tandem DOMINE, & occultas æmulorum inſidias, apertam rebellium vim non inferiore fortitudine quàm fortunâ, non minore CONSILIO quàm INDUSTRIA ſuperâſti. Macte

TUA virtute, LEOPOLDE CÆSAR, pro quo ſidera, cum quo Numina militant,

Et conjuratæ veniunt ad claſſica nubes.

Quicquid clandeſtinis in Illyrico dolis coctum, quicquid manifeſta in montanis ulterioris Pannoniæ jugis defectione cæptum eſt, familiaris Auguſtæ Domui TUÆ Fatorum benignitas ultrò, & antequam virus adoleſceret, viresque aſſumeret, in herbâ diſcuſſit. Famulata eſt propitiæ Cœleſtium voluntati TUA, DOMINE, manus, adfuit Marti Mercurius, ac proſperam audaciam ſolertia juvit, celeritas abſolvit. Omne in tempore momentum fuit, neque conſilium laudari poterat, niſi peractum. Vidi ipſemet Viennæ TE, IMPERATOR, magni illius JULII, Conditoris Imperii TUI more, dilato cibo potuque, qui cæteris mortalium in alimentum, rerum autem Dominis in voluptatem quoque cedit, interrupto ſomno, omiſſis ſummæ fortunæ deliciis, nuncios è Styriæ Liburniæque collimitio venientes incunctanter audire, novis mandatis inſtructos ſtatim dimittere, in delecto è fidiſſimis ſapientiſſimisque Procerum, quorum non alia regia fœcundior extitit, ſenatu; ſuffragia

ſingu-

ſingulorum exquirere, ad lancem rectæ rationis & judicii expendere, militem expedire, copias, tormenta, commeatum, ſtipendia, quò opus erat, maturare, triduo denique negocium plurium annorum miraculoſè conficere. Nonne cum nunquam ſatis laudato C. Cæſare jure dixeris: VENI, VIDI, VICI? Imò VENI, VIDI, DEUS VICIT: Qui pro TE certavit, Tuamque abſentis cauſam faventibus auſpiciis peroravit. Nefanda autem illa proditio, ad cujus famam tota ſe Europa, imò univerſus penè orbis commoverat, quid aliud niſi VENIT, IVIT, FUIT, & liberas TIBI ædes, vacuam Regni poſt tot excitatos in ſimpulo fluctus ad quietem tandem redituri poſſeſſionem reliquit? extortâ denique victis & invitis pulcherrimâ confeſſione, nullam eſſe majorem, quàm ſub legitimo Rege libertatem, & discordi licentiâ distractis expedire, unum eſſe, cui ſerviant. Hoc bonum, ut olim Ludovico XI, qui primus Regiam in Galliis poteſtatem legibus olim non ſolutam emançipâſſe creditur, ut nuper Danorum ſolio ſummum Imperii jus citra manumiſſionem adçpto, ita modo TIBI, AUGUSTE, contigit, qui plurimum perduellibus debes, per quos de-

mum verè, & ſine exceptione, non precario parendi jure, regnare cæpiſti. Beneficium iſtud proprium virtutis, imò pietatis TUÆ præmium eſt, SACRATISSIME PRINCIPUM. Non Sigismundi longævitas, vel potentia Caroli, non præſentia Ferdinandi I, non humanitas Maximiliani, non ſolertia Rudolphi, non favor Matthiæ, neque vel AVI TUI, at quanti Monarchæ! felicitas, vel glorioſiſſimi PARENTIS TUI prudentia, eò faſtigii pervenit, ut provinciam nimiâ libertate ferocientem eum in ordinem redigeret, ut Auſtriacorum Imperia, Germanorum præſidia ferre ac vereri diſceret. Quoties illi quidem voluerunt videre, quæ nos videmus, & non viderunt? & audire, quæ nos audimus, & non audierunt? Non deerat illis vel ad conſultandum ſapientia, vel ad audendum animus. Aderant conſilio providi, dextrâ ſtrenui Schwendii, Baſtæ, Belgioſæ Dampetræ, Buquoii: Siſyphi iſtud ſaxum necquicquam volverunt. Fortuna non adfuit, quæ TIBI hoc ſingulare munus in arcano Fatorum ſacrario ſervavit. Non fruſtrà TE Pannonicæ gentis ritu comatum Natura edidit. Jam infans Tuique ignarus minabaris, detracturum TE criſtas genti, eas ultra civilem modum captumque

captumque erigenti. Implevit augurium Fortuna, & quod in cunis vagienti promiſit, in caſtris triumphanti præſtitit. Habes Regnum ſolidè TUUM, nec jam, ut majores TUI, ut TU ipſe, dubitanter, ac velut ambiguè, ſed liberè & ex animi ſententiâ imperas. Nemo militi TUO aquâ, ut antehac, & igni interdicit; nemo eum mœnibus arcet, commeatu intercludit, domo ejicit. Nemo inſultare Germanico nomini, nemo lenitatem Auſtriacam laceſſere audet. Fremunt capti, pallent victi, ſilent reliqui. Ne Barbari quidem malæ cauſæ patrocinantur, & quibusdam Chriſtianorum: longè magis ejus, quod gentium juris eſt, memores abhorrent à conſortio ſceleris, cujus perpetratio ad unum, exemplum ad omnes pertinet. Non minima felicitatis TUÆ pars eſt, DOMINE, ipſos infideles ſervâſſe fidem, eo tempore, eâ occaſione, quâ non impunè modò, ſed cum ſpe proferendi Imperii, quo obſtricta Mahummedanæ ſuperſtitioni vota ipſorum unicè tendunt, frangere poterant. Indignum nempe populis, quamvis à cognitione recti remotis viſum eſt, alienæ miſceri perfidiæ, & inſoleſcenti ſubditorum adverſus Dominos improbitati auxiliares manus commodare. Hoc illos

los

los conſcientia, reliqua rectæ rationis in homine ſcintilla, bonorum malorumque facinorum judex, index, vindex docuit: magno eorum opprobrio & rubore, quibus ſaniora ex divinæ legis præſcripto edoctis, nihilo minus diverſa, & ipſismet etiam Barbaris inviſa placuerunt. Unde juſto Cœli, facinorum ejusmodi Fautoribus ſeriò iraſcentis, decreto nihil aliud ad eos redit, quàm profuſæ in detectas molitiones pecuniæ triſtis jactura, & deteſtatio generis humani, tantæ immanitatis Autores adjutoresque pari abominatione execrantis; accedente ad externam infamiam, quâ ad conſummationem ſeculi usque flagrabunt, interno pectoris morſu, ſua illis flagitia, ſua dedecora in ſupplicium quotidiano ejus ſenſu & aſſiduâ exprobatione vertente. TU autem, DOMINE, gratias age DEO, pro TE tàm ſedulò, tàm gnaviter excubanti. Utere Fortunâ, ambas TIBI manûs tàm diu, tàm comiter porrigente. Inſiſte cæptis, urge ſucceſſus, & poſtquam ultioni conſultum, ſecuritati proſpectum eſt, quicquid reſtat, clementiâ compone. Omnium culpa fuit, paucorum pœna ſit. His parcere & toties relapſis veniam tribuere, ſed novam peccandi materiam offerre, crudelitatis ſpecies

foret.

foret. Eſt ſævitia parcens, ſed & eſt miſericordia puniens, quæ etiam, dum ferit & cædit, dum amputat membra & abſcindit, miſeretur, neque niſi cum magno tormento aduſtionem & ſectionem, quoties opus eſt, accedit. Cæteri bonitatem TUAM potius experiantur, quàm ſeveritatem metuant, intelligantque, TE

Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos.

Sed quia gentes libertatis avidæ ſeriùs eam obliviſcuntur, quàm amittunt, nec eodem, quo vincuntur, impetu domantur: ideò tempore ac ſpatio res eget, ut paulatim amor obſequii, & fides in Principem, ex conſuetudine in naturam vertat. Interim injectum ſemel frænum adductâ tenendum manu, nec unquam remittendum eſt, donec indomitæ provincialium inſuetæque dominationis cervices bonâ fide miteſcant, ac victi, victoresque mutuis affectibus ſeriò coaleſcant. Sufficit interim oppida, caſtella, munimenta in manu TUA, in tutela Germanorum eſſe, neque nocere amplius ſubactos velle, vel ſi velint, poſſe. Demtis aculeis innoxii crabrones ſunt. Videndum autem eſt, ne alii ſuccreſcant, ne nova in-

crementa

crementa capiant. Non dormit Alaſtor, ſed circumit ſicut Leo rugiens, quærens quem devoret. Ecce venit illuc, imò reſidet illic, & habet magnam iram, ſciens, quia modicum tempus habet. Adhuc aurum habet, quod diſtribuat; animos, quos corrumpat; artes, quibus inficiat; inſtrumenta, quæ adhibeat; machinas, quos admoveat; ſocios, quibus confidat; laqueos, quos tendat; blanditias, quibus fallat; tempora, quæ expectet; opportunitates, quibus immineat; miniſtros, quibus utatur. Toties à fortunâ derelictus; benigniorem ejus regreſſum opperiri non deſinit: infelicium Aleatorum more, qui perdito ſæpius jactu ludere tamen non ceſſant, ſi fortè uno momeuto plurium horarum damna recuperent, donec omnem paulatim pecuniam profuderint. Hos potiſſimùm cave, DOMINE, obſerva, & deprehenſos è finibus TUIS elimina. Nulla lege obſtringeris, ut eorum præſentiam feras, ut eos quotidie ante oculos TUOS obſervari ſinas, qui in vitâ TUA, in pace regnorum TUORUM turbanda, hoſtium quoque jus, & ſacra muneris ſui, & fas gentium ruperunt. Vicinæ TIBI Sarmatiæ exemplum intuere & imitare, quæ nunquam

quam pacatior, nunquam validior extitit, quàm cum adverſis, ſub ſpecioſis nominibus exploratorum vicem agentibus, Aulam & aures, portas & portus clauſit, & corruptos pariter ac corruptores juſtis edictis repreſſit atque cohibuit. Habes quod ſequaris: neque aliter corpori TUO ſecuritatem, Aulæ fidem, tranquillitatem provinciis reſtitues. Utinam & reliqui omnes Germani idem TECUM ſentiant, venenatosque Baſiliſcos, & noxia concordiæ publicæ monſtra è conſiliis ſuis, è Palatiis, è caſtris proſcribant, & cum veteribus illis Mauris, ultra fretum Gaditanum in Lybiam ſuam, imò ad Indos & Garamantes, ubi Pelopidarum neque dicta neque facta audiri poſſint, remittant! Ut tandem aurea Pax, ſummum humani deſiderii bonum, terras reviſat, ſceptris adhæreat, gentes conciliet, & communi conſilio non niſi in communem Chriſtiani nominis hoſtem arma ſumantur! donec ipſe quoque Cruci Lunam ſubmittere, & injuſtus tot Regnorum prædo, tot Regionum invaſor, tot provinciarum detentor, jure cogatur reſtituere, quicquid injuriâ eripuit, ac demum multitudo credentium fiat cor

unum,

unum, & anima una. Quo cum voto, ad genua TUA, AUGUSTE, humilimo reverentiæ cultu ſe inclinat

NUMENI MAJESTATIQUE T.

devotiſſimus ac ſubjectiſſimus
Servus & Subditus

N. N.

93 960253

2
1075. 5